V O C E H O M E R I C A

*Polypaipalos*

ΠΟΛΥΠΑΙΠΑΛΟΣ

ALIISQUE COGNATIS VOCABULIS

OBSERVATIONES PHILOLOGICAE.

---

QUIBUS

DIRECTORIS MUNUS IN GYMNASIO REGIO EMBRICENSI

DIE XXI. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCXLI

HORA XI IN AULA GYMNASII

RITE AUSPICATURUS

AD AUDIENDAM ORATIONEM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

CAROLUS WILHELMUS LUCAS

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR REGIUS.

---

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLI.



Homeri carmina qui pertractant accuratius, neque res solum, quae enarrantur, verum etiam singulorum vocabulorum notionem subtilius enucleare student, fieri non potest, quin Graeciam liberalium studiorum prope omnium altricem et quasi parentem quandam praedicent, quippe quae non sibi soli, sed totius antiquitatis dignitati et splendori consuluerit atque adeo de ipso humano genere insigniter meruerit. Hanc praeclaram laudem quo lubentius Graeciae concedamus, facit incredibilis illa doctrina non artificiis quibusdam ficta, sed naturae ductu comparata, continuo usu firmiter stabilita et egregiis monumentis ante oculos omnium, qui altiora quaeque cognoscere possunt, luculentissime collocata. Apparet naturalis illa populi graeci summae laudis propagatio in historiae aetatibus, in condendis perficiendisque artibus, in singulis generibus litterarum et in ipso opportuno ordine, quo unumquodque deinceps aut nascitur, aut incrementa capit, aut depravatione ad veras rerum leges corruisse perhibetur. Quare quum doctrinas graecas atque litterarum progressionem perscrutantibus singula monumenta summa cum gravitate clamant, quanta merita sint Graecis adiudicanda, Homerus in culturae graecae quasi pueritia cum lepidissima puerili loquacitate quo uberius, eo suavius singulis versibus edocet, ingenii humani progressionem et mensuram quandam ex sua natione maximam partem pendere. Nam in Homeri carminibus apertissime tanquam in speculo cernitur, quam accurate Graeci in lingua colenda et propaganda naturae vestigia presserint, quam praeclare sint ratiocinati, ut notionem ex notione derivarent, qua iudicii sanitate a natura, quam sensibus verissime percipiebant, similitudine intercedente ad interiores animi facultates transierint. Haec singularis sermonis virtus efficit, ut Homerus omnium studia excitet, animos teneat, neque minus iucunditatis, quam utilitatis legentibus offerat. Jam vero quum in ipsa externarum rerum natura spectanda non unus sit spectantium sensus, sed prout aliquis a communi natura suo animo abhorret, neque intimam eum homerica mente familiaritatem contraxit, magna iudicii diversitas conspiciatur, perpetua carminum lectione eo nitamur oportet, ut, si quid sapere bona indoles concedat, eadem poeta in dies rectius cognoscendo

exerceatur. Cuius exercitationis quum aliquoties periculum non sine omni nostro fructu nobis fecisse videamur, vel hac opportunitate exemplis quibusdam ex Homero comprobemus, graecam linguam eo nomine praestantissimam existimandam esse, quod, quae sua natura suoque sensu coniuncta sunt, eadem verbis et dictione consociat atque, modo recte naturalem vim percipias, internam eius cognationem proponit.

Quamquam mihi Homeri carmina lectitanti atque interpretanti semper visum est ad similitudinem aliorum vocabulorum, ut δαιδάλεος ad δάω, δαιδάλλω, ita vocis παιπαλόεις formam reduplicatione auctam ad πάλλω, παιπάλλω (quod vel Hesychius servavit) revocandam eiusque vim positam esse in torquendo (κινεῖν, σείειν), hanc ipsam tamen coniecturam meam asseverantius proponere non dubitavi, quum Godofredi Hermanni, summi viri, observationem legissem ad hymnum in Apoll. 39. ita fere conceptam, *παιπαλόεις obscuri significatus vocabulum quum sit a πάλλειν deductum, quod est crispare, torquere, videtur tortuosum significare.* Alii quid de voce παιπαλόεις statuerint, silentio praeterire placet. Nam in Passovii lexico graeco (s. v. παιπαλόεις) singulae opiniones breviter recensentur, et sunt maximam partem ita comparatae, ut sua infirmitate ultro corruant. Sed quum ab eodem Passovio, cuius summam auctoritatem raro equidem semperque aegre desero, Hermanni coniectura reiiciatur, quippe verbi πάλλειν significationi minus consentanea, deinde quum Hermannus sanissimum illum sensum suum non pro certo pronunciaverit, rem accuratius proponendam censui, praesertim quod de voce homerica πολυπαίπαλος mea sententia ab interpretibus omnino recedit.

Torquendi notio ad motionem celerem ultro citroque conspicuam redit (quam *zickzack* vocamus Germani), qualem in fulminibus aperte conspicimus, ἕλικα στεροπῆς ab Aeschylo verissime nuncupatam; neque improbabiliter coniicias a fulminum coelestium forma motuque Jovis tela torquentis imaginem hominibus esse exortam. Hanc simplicissimam significationem, primariam oculisque prima hominum aetate conceptam grammaticorum docta natio quantopere neglexerit, multi irritique conatus in voce explicanda probant. Quae cum ita sint, παιπαλόεις *tortuosum* significat (nostrum *gezackt*), atque de montibus (Jl. ν, 17. ρ, 743. Od. κ, 97.) praeruptum, asperum, praeceps dici potest; de insulis, Jthaca (Od. λ, 480.), Imbro (Jl. ν, 33. ω, 78.), Samo (Od. δ, 671.), Chio (Od. γ, 170.), aut ad illam ipsam montosam naturam spectat, aut ad multiplicem litorum flexum; de viis (Jl. μ, 168. Od. ρ, 204.) itemque de saltibus (Hes. Theog. 860.) aut arduam naturam indicat, aut flexuosum tractum, quum vel nos constanter dicimus, *das Thal, der Weg windet sich, zicht sich, schlängelt sich* et alia similia. De viis eius generis rem luculenter affirmant homericae formae ἀταρπός (Jl. ρ, 743. Od. ξ, 1.) et ἀταρπιτός (Jl. ρ, 234. σ, 565.) litteris transpositis

factae a *τρέπω*, *flecto*, et *α* intensivo; quibus vocabulis olim haud dubie adiectivis viae indicabantur, quae flectuntur, hoc est tendunt, ita ut iam apud Homerum de qualicunque via usurpentur. Etenim in antiquo loquendi cogitandique usu singularis rei nota ipsam notionem ita saepe repraesentat, ut postea, rebus temporibusque mutatis ipsa illa nota evanescente immutataque significatione, forma tamen intacta servetur. Sic *ἀταρπός* et *ἀταρπιτός* in nomina substantiva abierunt; quod ipsum valet de voce *παίπαλα*, quam Callimachus (hymn. in Dian. 194.) consocians cum *κρημνοῖς*, ut ex toto loco apparet, de montibus arduis atque praeruptis intelligi voluit, scholiastes eadem mente *τόπους τραχεῖς* interpretatur*). Hac ardua montium

---

*) Singularis et mirificus profecto nobis quidem videtur usus ille Graecorum, quo vocabula adiectiva in eorum substantivorum vim saepe transeunt, quibus aut ipsa, aut alia eiusdem significationis adiungi solent. Qua in re vel hoc me docuit scriptorum lectio, adiectiva illa id ipsum genus repraesentare, quo sua substantiva nuncupata sint. Jtaque galeae cum olim e pelle canina factae essent, postea adiectivum *κυνέη* in substantivum abiit, atque generaliter usurpatur pro *ἡ κόρυς*, ut iam *κυνέη ταυρείη*, Jl. *κ*, 257. et *κτιδέη*, Jl. *κ*, 335. et *αἰγείη*, Od. *ω*, 231. dici queat. Mare cum epitheton haberet *γλαυκόν*, *θαλάσση γλαυκή*, Jl. *π*, 34., factum est, ut apud Hesiodum Theog. 440. *γλαυκή* substantive de mari legatur, *γλαυκὴ δυσπέμφελος*. Porro quum Homerus Jl. *ξ*, 307. dicit, *ἵπποι, οἵ μ' οἴσουσιν ἐπὶ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν* (cfr. hymn. in Cer. 43.), non dubitandum est, quin *ἡ τραφερή* olim terrae epitheton fuerit, ut *ζείδωρος*, Od. *ε*, 463. *βωτιάνειρα*, Jl. *α*, 155. *πολυβότειρα*, Jl. *γ*, 89. alia; itemque *ἡ ὑγρή* nobis, qui novimus illud *πλεῖν ὑγρὰ κέλευθα*, Od *γ*, 71. atque *ὑγρὸν πέλαγος*, Pind. Pyth. IV, 70., idem habeatur, quod *θάλασσα*, quum legitur *πολὺν ἐφ' ὑγρήν*, Jl. *κ*, 27. Terrae notio apertius conspicitur, ubi Mercurium *πέδιλα φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρήν, ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν*, Jl. *ω*, 341. Vocabulum adiectivum *ὀλοοίτροχος*, lapidis volubilitatem proprie indicans, apud Homerum, Jl. *ν*, 137. lapidem ipsum significat. Cuius rei non contemnenda testimonia apparent in plenis dictionibus *ὀλοίτροχοι λίθοι*, Xen. Anab. IV, 2, 3. et *πέτροι ὀλοίτροχοι*, Theocr. XXII, 49. Vox homerica *ἀκτή*, ab *ἀκτός*, *ἄγνυμι*, *frango*, derivata, modo frumentum comminutum et molitum significat; ut vel *δωρεὰ Δημητρός*, vel *κριθή* subintelligendum sit, modo litus maris significat, ubi fluctus franguntur; aeque atque *ῥηγμίν*, a *ῥήγνυμι* ductum, aestus marinos indicat atque locum praeruptum, scopulum, qui illum aestum efficit. Vocem *ἀκτή* probabiliter contendat aliquis olim cum *θάλασσα* iunctam fuisse; *ῥηγμίν* ipsum litus iam ita indicat, ut *θαλάσσης* plerumque addatur. *Ὁ βροτός*, *mortalis*, hominem significat subintellecto *ἄνθρωπος* sive *ἀνήρ*; atque legitur apud Homerum *βροτὸς ἀνήρ*, Jl. *ε*, 361. *βροτοί*, *homines*, Jl. *ε*, 304. et *θνητοὶ βροτοί*, Od. *γ*, 3. *Ὁ χειμαῤῥος* (*χεῖμα*, *ῥέω*), *aqua hiemali et pluvia fluens*, fluvium torrentem significat subintellecto *ποταμός* (cfr. Jl. *λ*, 493.). *Τὸ ἑανόν* (*ἕω*, *ἕννυμι*, *induo*), quod indui potest, habile, vestem indicat subintellecto *ἱμάτιον*, Jl. *γ*, 385. *Ἡ αὐτοσταδίη*, *stataria*, pugnam singularem cominus susceptam significat subintellecto *μάχη*, Jl. *ν*, 325. idem valet de voce *σταδίη*, Jl. *ν*, 514. *Τὸ ξυστόν* (*ξύω*, polio), *politum*, hastile indicat, subintellecto *δόρυ*; item *ὁ ξυστός* sc. *δρόμος* porticus est obtecta, in qua ambulabant *ἐν τυκτῷ δαπέδῳ*. *Ἡ διπλόη*, *duplex*, subintellecto *χλαῖνα* tunicam significat. *Ἡ ποικίλη*, *varia*, *picta*, omisso *στοά* porticum indicat Athenis a Polygnoto imagine celeberrima exornatam. Jta *παρδαλέη* sc. *δορά* pellem pantherae significat, Jl. *γ*, 17. *λεοντέη* sc. *δορά* pellem leoninam, itemque alia, quae satis nota sunt. In multis vocabulis res per se liquet, atque de voce *ἀθάνατοι*, quod pro ipsis diis saepissime legitur, vix opus est, ut verba faciam. Nomina animalium naturam eorum quomodo saepissime declarent atque a singulari vi profecta in nomina propria quaedam abierint, multis exemplis docui Quaest. lexil. lib. I, p. 26. sq. Sed ne longius labar neque in sexcentis aliis haeream, quae non apud Homerum solum reperiuntur, verum etiam apud alios scriptores, veluti in illo fragmento Stratonis comici apud Athenaeum p. 383. *μέροπες* homines significat, *ἐρυσίχθων* bovem, *πη-*

natura recepta non mirum videtur ab Aeschylo in Eumenidibus 399. scriptum esse δυσοδοπαίπαλα pro δυσπαράβατα, τραχέα, ut scholia habent ad h. l., vel δύσβατα, quod scholiastes ad Aristophanis Nubes (260.) repraesentat.

Haec de voce παιπαλόεις sufficere puto. Sed in eadem vocis familia mirabilis conspicitur significationis varietas a primaria vi, quam posuimus, constanter et simpliciter derivata.

Verbi πάλλω primariam vim atque universalem in motione qualicunque statuamus necesse est. Cuius significationis singulare exemplum proponit homericus ille Hector, qui in proelium rediturus, postquam osculatus est Astyanactem filiolum suum infantulum et in manibus sedentem crebro blandissimeque sustulit (ἐπεὶ κύσε πῆλέ τε χερσί, Jl. ζ, 474.), fausta quaeque a Jove precatus est. Haec motionis significatio fortius accepta torquendi vim procreat apud Homerum saepissime usurpatam, quippe ad tela hastasque relatam, ita ut παλτόν postea de iaculis accipiatur. Neque hercule id miramur, qui heroica Graecorum tempora in Homeri carminibus contemplamur. Praeterea πάλλω vel de corde dicitur, ut πάλλεται ἦτορ ἀνὰ στόμα (Jl. χ, 452. cfr. 461. et hymn. Cer. 294.), ita ut praeter motionis illius notionem trepidatio et metus indicetur, ratione habita eius sensus, quo animum singulis locis affectum esse constat.

Jam alteram verbi πάλλειν vim ex trito et quotidiano usu receptam consideremus. Πάλλω, *sortior*, facile intelligitur ex sortiendi more, quem Homerus ita describit insigni Iliadis loco (γ, 316.), κλήρους ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον. Cfr. Od. κ, 206. Fiebat enim sortitio, ut signis quibusdam in galea coniectis varieque commixtis et commotis ex eo, quod commotione primum exsiliebat, res decerneretur. Jta usu factum est, ut torquendi vis in sortiendo adhibita in ipsam sortitionis vim paulatim abiret, cuius rei exemplum illustre homericum (Jl. ο, 191.) in promtu est.

Sequuntur duo verba παλάσσω et παλύνω cum praecedentibus origine primariaque notione coniunctissima.

Παλάσσω, *conspergo*, de fluidis et saepissime quidem de cruore (αἵματι et λύθρῳ) usurpatur, de cerebro (Od. ν, 395.), de sudore (Jl. ρ, 387.) semel. Cfr. Jl. ε, 100. λ, 169. 535. υ, 500. 503. Od. χ, 402. 406. ν, 395. Alterum, παλύνω, *conspergo*, ad sicca spectans de farina potissimum dicitur (Jl. σ, 560. Od. ξ, 77. 429., de nive semel

---

γός sal, οὐλοχύται grana sacrificanda, finem nunc faciam, alia opportunitate idem argumentum fortasse tractaturus, quod ut multis locis lucem afferre potest, ita a viris doctis plerumque negligitur. Multa quidem huius generis vocabula difficilia sunt ad indagandum, quoniam ex antiquissimis temporibus depromta sunt atque vetustate satis obscurata; sed hoc ipsum vel acrius ad rem perscrutandam instiget.

(Jl. κ, 7.). Jn utroque verbo ad celerem manus motionem res redit; neque ego παλύνω a πάλη, *polenta*, duxerim, ut viri docti volunt, neque παλύνειν dixerim proprie idem esse, quod λευκαίνειν, qui insignis error est grammaticorum nonnisi farinam in oculis ferentium et inde miserrime obcaecatorum, sed aeque ac παλάσσω ad primariam vim verbi πάλλω referendum suadeo; quamquam non nego, ipsum πάλη ad πάλλω redire, ut sit flos farinae, pollen, torquendo frequentique motione purgatum atque tenuatum (nostrum *geschwungenes Mehl*). Jn verbo παλάσσω autem mirabile id est, quod vel sortiendi vim induens, fontem, unde significatio fluxit, certissime declarat. Cfr. Jl. ν, 171. Od. ι, 331. Quodsi res cruore sordibusque sanguinolentis prae ceteris conspergi invenimus apud Homerum, facile intelligimus, quo iure turbare adeoque foede turbare sit παλάσσειν in verbis, ἐγκέφαλος ἔνδον ἅπας πεπάλακτο (Jl. λ, 98. cfr. Jl. μ, 186. υ, 400.); neque mirandum est, si turbationis vi postposita in inquinando potissimum nonnunquam verbi notio posita est, ut Od. χ, 184. σάκος εὐρύ, γέρον, πεπαλαγμένον ἄζῃ, *scutum vetus, situ foedatum et oblitum.* Cfr. Jl. ζ, 268. De qua tota ratione humanae menti consentanea, atque de similibus verbis, δέφειν, ἀναμάσσειν, δεύειν, ἄρδειν, ἀρδαλοῦν, μιαίνειν aliisque, quibus haec nostra commentatio insigniter comprobatur, uberius a me disputatum est in Quaest. lexil. lib. I, p. 152., ubi de vocis πορφύρεον originibus agitur.

Jn his vocibus atque notionibus omnibus manus vibrans conspicitur atque tortuosae motionis ratio apparet. Sed relinquitur haec notio in aliis vocibus, ut per sanam ratiocinationem nova notio condatur. Solet id sexcenties fieri, ut primaria vocabuli vis, ad singularem rem praecipue relata, paulatim evanescat et quasi contagione quadam in illius rei naturam abeat. Quare consentaneum est et necessarium, ut cum apud Homerum, tum apud alios alius cuiusvis linguae scriptores ad singulares rationes, quae in voce praeponderant, vocabulorum significationes mutentur. Ea varietas atque constantia significationis in superiore familia verborum a nemine, credo, desideratur. Sed ut in arboribus ex nodoso rami complexu multi et varii ramuli in diversas partes exeunt, ita ex singulari vocis cuiusdam significatione tanquam ex nodo novae germinant et ex alia quasi radice crescere videntur, nisi nodum illum spectas diversitates illas mirifice consociantem. Jtaque cum singularis ratio torquendi temporibus posthomericis spectet ad farinam (λεπτότατον ἄλευρον), cuius rei indicia in usu quodam loquendi apud ipsum Homerum latent, factum est et poterat facile fieri, ut tenuissimae farinae natura ad mentis astutiam (gallice *finesse*) referretur. Nam apud Aristophanem (Nub. 263.) παιπάλη idem valet, quod λεπτολόγος sive λεπτὸς περὶ τὸ λέγειν (cfr. schol. ad l. c.), atque γυνὴ παιπαλῶσα mulier callida,

fallax dolosaque dicitur apud Suidam (s. v. Κίρκη) eademque παιπαλώδης apud Suidam et Etymologum 515, 17.

Ab hac pollinis vi derivataque calliditatis significatione viri docti, quantum equidem scio, homericam vocem ducunt πολυπαίπαλος, semel usurpatam (Od. o, 419.) de Phoenicibus, astutiae et fallaciae nota apud Homerum non uno loco insignitis. Quam sententiam quominus amplectar, multae causae me commovent; in quibus non parvi momenti est, quod a radice verbi πάλλω nullum in Homeri carminibus vocabulum ita invenitur deductum, ut farinae vim per se proponat, deinde quod farinae tenuissimae imaginem ad ipsam mentis astutiam referre menti homericae minus consentaneum videtur, tum quod dubitare iure licet, quin Homeri temporibus farina torquendo ad eam tenuitatem redacta fuerit, ut astutiae imaginem praebere posset, denique quod illud πολυ eiusmodi interpretationem respuit. Quae cum ita sint, farinae vi postposita ad torquendi sensum aeque atque in voce παιπαλόεις redeundum esse visum est. Verto enim πολυπαίπαλος *tortuosus*, ut idem fere valeat, quod πολύτροπος (hymn. in Merc. 13. 439.); in qua interpretatione mirifice me adiuvat ipse sensus Homeri atque totius vetustatis consensus, quo iusta, vera, proba, clara et aperta dicuntur *recta*, iniusta, falsa, improba, obscura et obtecta quaeque *obliqua* et *flexa* nuncupantur. Quare iusta causa est δικὴ ἰθεῖα, Jl. ψ, 580. Hes. Op. 36. 226. Theog. 86., eodemque nomine interpretandum est ἰθύντατα εἰπεῖν, Jl. σ, 508. Usurpatur etiam de via et vita, qua quis probe aperteque ante hominum oculos procedit, qualis apud Herodotum appellatur ἰθύς τε καὶ δίκαιος ἀνήρ, I, 96. cfr. I, 118. Rem probat Herodoti usus loquendi vel in voce ὀρθός observatus, I, 96. VI, 68. VIII, 3. Contrariam significationem Graeci constanti mente multis dictionibus exprimunt. Nam σκολιόν, *curvum, flexum, obliquum*, ad iniusta refertur, dolosa et iniqua, ut σκολιαί δικαί (Hes. Op. 221. 252. cfr. 260. 264. Callim. hymn. in Jov 83.), σκολιαὶ θέμιστες, Jl. π, 387. Aliud eius generis vocabulum ἀγκύλον est, *curvum, flexum*, in epitheto perpetuo Saturni ἀγκυλομήτης, quo doli atque astuta consilia eius optime declarantur; quae insidiae profecto in quadam animi quasi tortuositate et versutia positae sunt. Eodem epitheto apud Hesiodum (Op. 48.) Prometheus, ποικίλος ille, αἰολομήτης (Hes. Theog. 511.) et ποικιλόβουλος (Hes. Theog. 521.), designatur, cuius astutia usi homines Jovem ita deceperunt, ut in sacrificio carne hominibus relicta ipse ossa sibi inscius eligeret. Aliud vocabulum λόξον, *curvum, flexum*, in Apollinis cognomento Λοξίας adhibitum est ad oracula obscura, obliqua, tortuosa, quae deus proponit, indicanda; eo nomine λοξοχρήσμων nuncupatur, quod Cicerone auctore vertas *flexiloquus*. Multa alia exempla diserte in eandem rem, quam tractamus, laudari possunt, ut πορφύρειν, αἰόλον, ποικίλον, αἰολομήτης, ποικι-

λομήτης, Φοινικελίκτης, de quibus in Quaestionibus lexilogicis (I, p. 170.) a me disputatum est accuratius. Ad haec igitur exempla summo iure referendum arbitror homericum illud πολυπαίπαλοι, quoniam primariae significationis, homerici sensus Phoenicumque naturae ratio optime habetur. Nam ut homines illi rerum navalium peritissimi praedicantur, atque mercatui insigniter dediti magna itinera suscipiunt, *μύρια ἄγοντες ἀθύρματα* (Od. ο, 415. *ἐμπορικώτατοι*, *ναυσίκλυτοι*. Cfr. Od. ν, 272. schol. ad Jl. ψ, 743.), iidemque artibus excellunt (*πολυδαίδαλοι*, Jl. ψ, 743. cfr. Od. ο, 418. Jl. ζ, 289.), ita sua natura facile assequuntur, ut immensas opes sibi comparent (Od. ο, 425.), quippe plerumque in insatiabili auri fame explenda mirifice occupati (*τρῶκται*, Od. ο, 416.), versuti (*πολυΐδριες*, Od. ο, 459.), fallacissimi (*ἀπατήλια εἰδότες*, Od. ξ, 288.), atque a sceleribus committendis ita alieni, ut Eumaeum illum probissimum, origine Syrum, illustri loco natum, nutrix Phoenissa, mulier flagitiosissima, cum poculis e patria domo clam surripuisse, surreptum Phoenices postea Laertae Jthacensi vendidisse dicantur (Od. ο, 403—484.).

---

Sed iam exsequendum est illud officium, cuius causa homericis quibusdam observationibus prolusimus, ut alterius vitae, quam ordimur, auspicia rite indicamus. Etenim relicta Bonna, urbe suavissima, in qua per viginti annos florentissimam aetatem transegimus, in qua haud paucorum animos amicos nobis conciliavimus, in qua fortunae nostrae et, quo nihil hominibus exoptatius est, domesticae felicitatis fundamenta iecimus, in cuius alma academia philologiae praeceptoribus usi sumus praestantissimis, quorum plerosque quidem, Car. Frid. Heinrichium, Aug. Ferd. Naekium, B. G. Niebuhrium, viros desideratissimos, immatura morte (*eheu!*) ereptos lugemus, unum Frid. Theoph. Welckerum superstitem veneramur, in qua denique urbe per quindecim annos cum gymnasii collegis, optimis et meritissimis viris, ad bonas litteras et ad humanitatis studia iuventutem perduximus — eius igitur urbis relictis deliciis, amoenitatibus et doctrinae thesauris ad gymnasium Embricense transgressi sumus, summis auspiciis FRIDERICI WILHELMI III., regis beatissimi et immortalis, ante hos novem annos liberalissime renovatum et in pristinam dignitatem munificentissime restitutum. Cuius gymnasii quum, *quod bonum, felix faustumque sit*, FRIDERICUS WILHELMUS IV., rex noster potentissimus, clementissimus, directorem me constituere, constitutum sancire voluerit, hoc ego munus rite suscepturus gymnasii regii Embricensis collegas atque curatores, urbis proceres, cives, denique omnes, qui gymnasio eiusque studiis favent, illi solennitati frequentes ut adsint, observantissime rogo.

Inaugurandi officium regia auctoritate delatum est ad Wilhelmum Henr. Korten, in moderandis provinciae rhenanae gymnasiis consiliarium regium. Quo officio priusquam die statuto legitime fungetur vir clarissimus, nostri gymnasii praeceptores atque discipuli, qui catholicam fidem profitentur, eiusdem diei hora IX matutina in templo B. Adelgundis solenni sacrificio DEUM TER OPTIMUM MAXIMUM castissimis precibus implorabunt, ut propitius muneri meo prosperos successus dare velit.

---